

Dissertatio medica inauguralis de consilio medico ... / [Johann Christian Daumius].

Contributors

Daumius, Johann Christian, 1674-
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Chr. Henckelii, [1708]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ay9wpsr2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

W. Thomson Esq. 17

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE *with the Author's*

CONSILIO MEDICO,

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

PATRONI AC PROMOTORIS SUI ÆTATEM DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA legitimo modo consequendi

d. 24. Jul. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exponet

JOHANNES CHRISTIANVS DAVMIUS,
Cygnæa - Misnicus.

DEO, PATRIÆ,
PATRONIS
ATQVE
AMICIS.



PROOEMIUM.



Uemadmodum vulgò **ARS** describitur, quod sit habitus *cum recta ratione* effectivus, ita oportet certè, ut, qui illam exercere, ne dum alios ejus compotes efficere, in animum inducit, plenam ejus Ideam, & agendorum ordinem atque nexum, *mente* complexus,

ejusque verè compos sit; quò ita sub rectè instructæ mentis, seu *rectæ rationis*, præsiديو, ad effectum sibi propositum, justò tramite procedere, atque scopò sibi propositò potiri valeat. Quæ verò Ars sub sole dignior est, quæ ita sub rectæ, imò exquisitissimæ rationis, ductû exerceatur, quàm ipsa Medica? Circà unam nempe supremam necessitatem utique occupata, Sanitatis, sine quâ sibi molesta, aliis inutilis, est ipsa Vita. Certè itaque summum hic fuerit operæ pretium, imò exigit hoc summa æquitas, & vetat contrarium ipsa Justitia rerum, ut nihil circà hanc Artem inconsultò, neque citrà, nedum contrà rectæ rationis præcepta, temerè suscipiatur. Sicut autem ita facilè justum & æquum agnoscitur, quod hâc in Arte nihil sine maturò judicio atque providâ pensitatione, verbò, sine *Consilio*, atque studiò, audere atque perpetrare, licitum esse debeat; Adeoque etiam, ut in universum, arti medicæ præcipuam dignitatem, imò efficaciam, fœnerari debeat justum atque providum *Consilium*: Quâ de re quoque, si verba facere quis in animum induceret, paucis certè illam comprehendere minimè valeret: ita cum

etiam subinde in usum veniant ejusmodi *Consilia*, quæ ipsis passim ægris, ad exoptatum, pro retinendâ aut recuperandâ sanitate, agendi modum, ita suppeditanda sint, ut Medicus, vel planè nihil ultra, vel certè nihil sine horum consiliorum obsequiô, ad summam morbi, in solidum conferre possit, est omninò non indigna consideratu etiam hujusmodi rei plenior paulo cognitio, & sufficiens contemplatio. Movit me hæc ipsa ratio, ut, dum SPECIMINIS INAUGURALIS Thema circumspicio, ad hanc ipsam maximè appulerim animum, nempe de CONSILIO MEDICO, quò patientis necessitudines tanquam regulâ quâdam & amussi instruuntur ac ordinantur, aliquantò curiosius disquirendi, quantum illud non magis utilitatis, quàm subindè solidæ, imò unicæ, necessitatis involvat: quantum nempe tam ad directum regimen ægri attinet, quò ille etiam *citrâ medicamentorum usum*, aut efficaciam, sibi consulere possit, imò debeat: quàm ad medicamentorum etiam justum usum atque felicem effectum, quomodo sese æger ad hanc spem gerere debeat, referendum veniat.

DEUM autem Opt. Maximum supplicibus precibus veneror, ut ille proposito huic nostro clementer adspiret, mihi que vires illò condignè defungendi, benignissimè largiatur.

I.

CONSILIORUM MEDICORUM nomenclatura, cùm, usitatis moribus, diversas acceptiones involvat, secundum quas tamen omnes atque singulas, propositum nostrum exequi, temporis ratio nobis non permittit; è re nostrâ fuerit, ante omnia illam acceptionem è reliquis fecernere, de cujus objecto propriè disquire,

rere, nostri propositi fert intentio. Dicitur autem *Consilium* Medicum, *tribus* præcipuè solennioribus modis: *Primò*, de sententiâ Medicorum, tam de universâ indole atque constitutione cujuscunque morbi: quàm de spe aut metu circa ejus eventum: sed & de methodo atque mediis, quibus ejusmodi constitutioni, ad plenam bonam spem, obviam procedere & subvenire, secundum regulas Artis, integrum videatur. Hæc Consilia jam à *singulis* seorsim medicis, jam à *pluribus* in unum conferentibus, peti solita, non facimus nostræ considerationis præsentis. *Secundò*, meretur utique nomen Consilii capeffendi, ipsa, uti Scholæ Medicæ loquuntur, *formatio indicationum*, seu *inventio* methodi & auxiliorum; Quâ de re, nempè pensitatione necessariâ, & inveniendâ verâ atque fidâ conclusionem, subinde animadvertere licet *impotentiam* illam, *incertitudinem*, *fluctuationem* animi in Medico, quæ partim *gestibus* inquietis & meticulosis sese exferit, partim *inconsultis verbis*: Was ist nun zu thun? Wie wann man diß oder jenes gebrauchte? Wollen dieses versuchen / 2c. Will dieses noch geben / wann das nicht hilft / so weiß ich weiter nichts / 2c. partim ipsis remediis, ita in horas aliis aliisque denuò subornatis, ut vel plebs inde colligere intelligat, quod Medicus in nullò horum veram fiduciam collocandi compos fuerit. De quâ re falsè certè *Paracelsus*, partim præscriptionem Compositionum, magnum numerum ingredientium complexarum, Medicis talibus familiarem, traducit: Recipe Ther. Andr. Mithrid. Damoc. Philon. Persici, und was ist mehr lang? Ist etwan ein gutes drunter: partim inter signa *Ἰαβάσιμα*, locò non ultimò connumerat, Wann der Arzt zittert. Quanquam etiam non multò rarior sit in *oppositum* exorbitans, inconsulta tota, audax penitus *temeritas*, sine ullò *rectæ rationis consilio*, non solum quidlibet, sed etiam quidvis *importunum* atque *violentum*, in usum trahendi: De quâ ipsâ tamen etiam *Consilii* Medici acceptione in præsentia agere, non fert nostra intentio. *Tertiò* denique, est *Consilium Medicum*, quò Medi-

cus, secundum solidum intellectum, *Rationem* inquam atque fidam *Experientiam*, tum alia, quæ præsentis ægri constitutioni conducant, ad animum revocat: tum ægrum ipsum *instruit*, quibus actionibus, aut quâ continentia, sibi ita prospicere, & naturæ suæ subsidio esse debeat, ut felicem successum ac eventum morbi certius sperare inde liceat: aut, si consilio fideli auscultare, quin obsequi, negligat, infaus- tum successum atque exitum metuere necesse habeat, imò expectare.

II

De hujus postremæ acceptionis *consiliò*, in animo habemus loqui; Imprimis, inquam, de eò, quod medicus ita suppeditare debeat ægris, ut vel medicamentorum usus, nisi illi obtemperant dicto, *anceps*, imò *inanis* reddi possit: Vel, si tali consilio morem decenter gerant, non solum sine *multis*, sed sæpè etiam vel sine *ullis*, remediis, felicem morbi expugnationem expectare liceat. Diximus autem hoc consilium *medicum*, à Medicò inquam utique proponendum, atque ægro commendandum. Interim non abs re erit, si etiam hoc in genere, brevem quidem, sed non pariter levem, admonitionem commendemus, concernentem circumstantiam certam, quæ *Consiliarium* quam maximè commendat, uti secundum nudam sanam rationem etiam reverà decet. Est hæc, ut Consiliarius sit *postulatus*. Optandum enim verò meritò esset, ut passim non postulata solum, sed certè etiam necessaria *prudentia*, circa hoc negotium ita observaretur, ne, non sibi solum, sed apud imperitiores atque minus discretos, etiam toti *Arti*, tanquam frivolæ atque inconsideratæ opprobrium accerferent, *affectedi* consultores: Quid enim, proh pudor, notius propemodum est, quàm passim, ad fastidium prudentiorum ac honestiorum ægrorum atque cognatorum, *ingerere* se homines, *offerre*, *spondere*, *polliceri* sua *Consilia*: Jam per *internuncios*, à vetulis, ad Patronos & Patronas usque: Jam variis *sollicitandi* modis, illud exigere, laborare, ut ipsi admittantur cum suo

consilio : Jam denique spontè, ab aliis ex improvîso introductos, etiam solos, cum officiorum præfatione agrorum cubicula irrumpere, &c. Ab ejusmodi *consultandi impetu*, cavebunt sibi quotquot sunt honesti Medici, tantò magis, quando satis verecundi fuerint, ad, ipsò suò factò, damnamdam, aut in dubium adducendam aliorum honestorum Medicorum, agrò jamdum consulentium, peritiam aut habilitatem. Sic ubi verò ab ipsis in Consilium *vocentur*, & audiant etiam, videant, imò jam pluribus exemplis notum atque perspectum habeant, quid consiliorum ibi agitetur, ut ipsi bonâ suâ *Conscientiâ* illud approbare non possint, tunc utique & Scientia & Conscientia ipsis facillè dictabit, quid petitis agrorum respondere, & quantum illis satis facere possint: Sine exclusione præcedentis Medici, si ille in commune consulere velit atque possit: Vel etiam cum exclusione, si ille recuset societatem, & tamen cordatus Medicus, denuò consultus, cum istius ausibus consentire, non audeat.

III.

Ut vero etiam de *subjecto* constet ubi consilia Medica, hæc inquam, de quibus nobis sermo est, in specie, locum sibi vindicent, sunt talia, tum omnes propemodum alii morbi, tum præ reliquis omnibus, primo omninò loco, ipsæ maximè *Febres*: Quemadmodum enim, in quibuslibet utique morbis, ferè prudente opus est *regimine*, quò patiens uti necesse habeat, si felicem medicationis eventum securius sperare in animum inducat: Et quò temerè *reglectò*, aut in *contrarium* conversò, certior pessimi eventus metus occurrat: Ita nihil certiùs usquam est, quàm quod hujusmodi eventus, non tam *ambiguus*, quàm certissimè summè *periculosus*, antè omnia maneat *Febres* cujuscunque generis, tantò magis autem *brevis* funesti periculi, *acutas*, imò *malignas*.

IV.

Enim verò cordatum quidem, imò quòvis modo solum attentum quemcunque, talium rerum æstimatorem, fugere nequaquam potest, id, quod passim tanquam in oculos, & universorum quidem hominum, incurrit, modò prudenter

aperiantur atque dirigantur, quomodo *multi magni morbi, passim & frequenter* obvii, (periculosi, si perperam observentur ac administrentur, successus ac eventus,) nihilominus sine ullis aliis *externis adminiculis, salutariter* decedant, ita ut ægri ab illis iterum rectè liberentur, ac in integrum restituantur. Utenim numerosissima certè passim exempla omit-
tamus, ab ipsa *Peste*, sine ullis externis *artificiosis* adminicu-
lis, in integrum restitutorum, imprimis plebejorum; certè lu-
culentissimum harum rerum specimen exhibent affectus illi
παιδῆμοι Variolæ ac morbilli. Quibus sicuti plerosque om-
nes homines obnoxios esse, notissimum est, ita nihilo ma-
gis ingotum, quod immensus ita affectorum numerus, non
solum sine ullis *artificiis* extraneis, communissimè saluberrimum morbi sui exitum experiantur: Sed ferè familiariter eti-
am tali *methodo* atque procedendi ratione, quæ à vulgatis
multorum *artificum* consiliis, longè in diversum abeat. Si-
cuti de reliquo de universis omninò *Febrilibus* commotioni-
bus, illud utique tanquam certissimum existit, quod sine bonâ
rectè conveniente, atque ex parte ægri patienter obsequen-
te, *continentiâ, ars* directâ, cum suis extrinsecus afferendis
auxiliis, adeò parum valeat, ut rem sine præoccupatione
æstimando, reverâ minimè dimidium ejus, quod necesse est,
Medicus absolvere valeat. Unde certè opus hîc esse decente,
& quôvis modo opportunò, *consilio*, solè meridiano clarius
dilucescit.

V.

Quid, quod etiam, uti sunt hominum, non solùm pa-
tientium, sed hodiè etiam artificum, usi tatissimi mores, sæpe
numero non tam æque in considerationem venire debeat,
quid patientem *positivè* agere expediat, quàm illud, quid *non*
agere, quid *omittere*, imò *vitare* atque *cavere* necesse sit.
Ubi profectò sæpe sæpius non tam intemperantioribus ægri
moribus, quàm indomitis temerariorum *artificum* ausibus,
& *noxiis* consiliis, *consilia* opponere necesse est. Quando
nempe in deterius acceptis, bonis ipsius *naturæ consiliis*,
quidli-

quidlibet potius aliud, imò vel simpliciter *contrarium*, tendendum videtur, quàm illud, quod quoquo modo, in corpore ægrotantis contingere observatur. Ubi profectò non tam ipsi ægro, quàm alienissimè passim speculantibus atque molientibus inquietis *artificibus*, *consiliò* atque *studiò* obsistere, necessarium est.

VI.

Sanè verò præcipuum *objectum* consiliorum horum, ægris suppeditandorum, est *Obsequium* præstandum ipsis *œconomiae corporis* sui actionibus *vitalibus*, mediantibus quibus corpus non solum conservandum, ac ab impendentibus, quin ingruentibus, damnis, præservandum: sed etiam nonnisi illis, *methodicè*, & secundum rationi innitentem experientiam, à rebus noxiis actu in corpore agentibus atque grassantibus, iterum liberandum atque repurgandum est. Quid vero dicamus de *reparatione* verorum damnorum, corpori ipsò factò jamjam illatorum? Est certè hæc res apud chorum Theoreticorum ita negligenter æstimata & tractata, ut oppidò paucos invenire contingat, qui huic considerationi dignam attentionem adhibeant. Versatur autem res in eò, quod ferè corporalium damnorum, *structuræ* inquam atq; *texturæ* corporis oblatorum, *reparatio*, ab omni *artis* potestate adeò prorsus alienissima existat, ut ne quidem quantum aciculæ caput magnitudine æquare posset, ullus sub sole *artifex*, secundum veram sui, naturaliter debitam, constitutionem, reficere valeat. Dum autem *natura*, ad reparandum hujusmodi quodcunque damnum, *tempus* imprimis impendit certum, sub cuius decursu operationes suas decenter absolvere possit: Cavendum proinde est, ne consilia aberrant ab hac circumstantiâ, sed sinceram illam potius servant & sequantur, ut quantum necesse est, *expectare* doceantur patientes: Nec inordinatis ac intemperantibus *properandi* intentionibus, irrita ad minimum, imò non rarò etiam anticipitamenta locum inveniant, sed peritior consilio cohibeantur.

Brevia diximus, verbis nempe paucis, re verò certè longa, dum ipsius *naturæ instituta*, pro fundamento *consiliorum* formandorum supponimus; Interim nulla utique alia hîc suppetit via, salubrem methodum ad sibi ipsi benè consulendum ægro præscribendi, præter unicam hanc, ipsos domesticos *œconomiae corporis conatus*, atque *motus* studiosè observandi atque prosequendi. Excipit hanc proximè, & vestigiis veluti insistit, etiam *remediorum* simplicissimorum atque facilè parabilium commendatio. Habet profectò hujusmodi *consilium*, tantam sæpenumero utilitatem, tamque justum usum, ut ne quidem *speciosiorum* quorumcunque substitutione compensari possit, nedum meliùs absolvi. Dies certè prius, quàm materia, nos destitueret, si talium rerum exempla memorare in *animum* induceremus; placet duo solum, quæ Dn. D. Præses in hoc propositò memoratu non indigna ducit, breviter attingere. In genere, numerum non contemnendum nominat ejusmodi patientium, qui variis, alii in *intimior*e corpore, alii per *ambitum* ejus, incommodis, vexati, & frustra, ab aliquam multo tempore, tam *consiliis* medicorum, quàm *formulis* multis atque variis, obsecuti, tamen vel planè nullum, vel simpliciter transitorium, imò evanidum, levamen inde senserant; *quantitate* maximè sanguinis abundante, & *commotione* hujus conspicui: Cùm rudè donatis universis illis inanibus tentaminibus, tempestivas *sanguinis ventilationes* illis svasisset, earumque rectè *tempestivum* usum: in eum sensum gratias ab ipsis actas reportaverit, ut, si non utique ab universis suis incommodis ita liberatos sese affirmare possent, tamen & sensibiliter *sublevatos* prædicarent, & nominatim nimio *plus*, quàm ipsis ante hâc sub usu methodorum diversarum, obtigerat: Sub quibus interim, non solum molestissimæ assiduæ medicamentorum ingurgitationi (ne quid dicatur de heteroclitâ talium efficacîâ, loco speratâ) obnoxii fuissent. Sed omninò etiam Pharmacopæis, tanquam perpetui Pensionarii, sine omni usu tan-

quam adjudicati. Secundum locum occupare potest, hujus ipsius rei velut exemplar aliquod, in Matronâ, generis atq; virtutum splendore insigni. Hæc uti staturâ, ut vocant, corporis, procerâ instructa, spongiosâ insuper texturâ, qualem *sanguineo-phlegmaticam* vocant, conspicua erat, sana cæteroquin, & in *dieta pleniore*, imò sic satis *lautiore*, constituta, *commotionibus* tamen animi nequaquam vacua, quas etiam *supprimere*, veriùs *disimulare*, studens, tantò certiora inde in suum corpus incommoda invitabat; Corripiebatur tandem anxiis quibusdam *oppletionibus circa præcordia*, *ardoribus* autem valdè sensibilibus circa *spinam dorsi*, imò velut *intimioribus*: *doloribus* autem *capitis*, mediocribus quidem, veluti perpetuis, vehementioribus autem per vi-ces, imò per occasiones, exasperatis: sub quibus rebus etiam *mensēs*, ab ordine suo, & mensurâ, plurimùm deflectebant: *appetitus* etiam, *tolerantia* ciborum, *alvi* successus, ita variis, sed universim ferè summè incommodis, modis fluctuabant, & nutabant, ut omnibus modis maximè incommodam valetudinem toleraret. Utebatur interim medicamentis *multis*, *variis*, & propemodum *assiduis*; Meliore, an veriùs pejore effectu, in medio relictum esto: Interim *viginti thaleris* per annum pro Studio, Consilio, & Auxiliis, res vix unquam absolvebatur. Pro circumstantiarum ratione suadebatur ipsi medicationum quidem huc usque continuatarum *omissio*, in locum autem ipsarum, tempestitiva *Venæ Sectio in pede*, matura atque vera *mensium* non tam promotio, quàm ad debitam *quantitatis* atque *temporis* mensuram, restitutio: *Commotionum* autem *Sanguinis*, quoties illæ reverâ emicant, placidissima *mitigatio*. Quibus *consiliis* effectum est, ut illa *nonum* jam ab eò tempore annum, per divinam gratiam, tam tranquillis rebus corporis sui transigat, quàm ante hoc tempus, singulis, inter quaternos, annis, vix novem septimanas absolveret: Sumtibus in subsidia pharmaceutica eo usque differentibus, ut, quantum ad medicamentorum usitatam *Taxam* attinet, per

totum annum *duobus thaleris*, pro suo corpore, non indigeat, &c.

VIII.

Nempè, *quid* ita *svadendum* sive *consulendum* sit, si in quæstionem veniat, respondemus esse illud utique partim *continentiam* ægri, convenientem veræ *indoli morborum*, in ordine ad *Secretiones & Excretiones* materiarum noxiarum è corpore, debitis *successibus tempestivè* quidem, sed tamen non nisi *maturè*, absolvendas. E quibus, cum in morbis quàm maximè periculosis, *velocis* inquam, atque simul ambigui, exitus, præcipuas partes capeßat *Evacuatio proportionata* per auctiorem *transpirationem*, seu, rectè intellectam *Sudationem*; opus tantò magis passim est, ut hæc talis Excretio *consiliò* utique peritò ita dirigatur, ne quid aliter quàm convenit, ibi temerè instituitur.

IX.

Certè enim nequaquam justissima deficit causa, quæ Medicum multoties impellat ad circumspectissimè perpendendum, AN OMNINÒ ALIQUID AGERE CONVENIENS, nedum necessarium videatur? Sicut enim, reliquò morbi decursu, sic satis tolerabiliter, in ordine ad *Secretiones & Excretiones* materiarum morbidarum, succedente, etiam à sanâ ratione alienum est, eundem ita demùm temerè vel *exagitare* vel *supprimere* atque cohibere: & impellere, plus quàm resferat, nedum ut ulla necessitas exigit: Ita est certè, pro ejusmodi constitutionibus, communissimè satis, imò abundè, si non solum Medicus ab exhibendis *activioribus* remediis abstineat: Sed etiam patientibus *consilium* solum illud diligenter inculcet, ut partim patiente continentia officium suum faciant, partim evitatis immorigeris & incontinentibus moribus atque motibus, à deterioribus eventibus sibi ita satis caveant.

X.

Primus propemodùm Specimen hujus rei, cordatè æq; atque cum studio, & tanquàm ex institutò, commendavit Syden-

denham, in subjecto *Variolarum* atque *Morbillorum*, commendans Medico ad res ejusmodi vocato, potius *nihil agere*, & intempestivas quaslibet actiones *dissuadere* ac impedire, quàm intempestivis ausibus, nimiam commotione sanguini introductâ, proventum nimium exanthematum impellere, eorumque periculoso deinde successui & exitui, verè portam aperire. Illud, quod rem tam unicè utilissimam, velut ubique pessundat, est nihil aliud, quod mihi PRÆSIDI abundè & notum est, & meritò hinc etiam passim fideliter notatum, quàm *triplex* offendiculum, imò vero præjudicium, gravissimum, & quod miserrimum est, sub illâ monstrosarum phantasiarum circâ Theoriam & Praxin Medicam licentiâ, vix ullius Emendationis spem relinquens. Nempe, *primò*, verè salutarium in morbis veluti passuum, in *historiâ* eorundem memorandâ, *neglectus*, adeoque ignorantia in hac re Medicorum ad hodiernum modulum curiosorum, passim major, quàm ipsius vulgi, patientibus assistendo operam dantis. *Secundò*, par, imò verò dignitate nimio major, neglectus, *Synergiarum* Naturæ, seu *motuum Oeconomie vitalis*, *Conservatoriorum*, *Secretoriorum*, & *Excretoriorum*, proportionatè ad materiæ & efficacis ejus noxiæ exigentiam, *augendorum*, atque convenienter *prosequendorum*. Quales, dum infaustæ illæ, & tam ab omni doctrinâ influxus *causarum*, quàm peritiâ *verè fientium* rerum, alienæ ætiologiæ, simpliciter *directis* morbi quæ talis, effectibus, adeoque corporis, & *actionum corporearum*, nudis *passionibus*, adscribit; fieri per rerum naturam aliter non potest, quàm aut similes impedire potius, aut certè minimè omnium talibus, cui subserviunt, usibus adhibere velle. Tertiò, effrænis illa de *medicamentorum efficacia* magnificè sermocinandi impudentia, & inter hæc, tanquam primò locò, *Alexipharmacorum*, Tragicò styli Elogia. Unde non solum imperitioribus animus tumet, ad funditus evertendos, & *directè* atque simpliciter *tollendos* ac eradicandos ejusmodi morbos, qui *venenatæ* causæ & energis imputantur; Sed obsedit hæc crudelitas eous-

que totius propemodum Scholæ Medicæ Promachorum Phantasiâ, ut morbis hujusmodi non solum nullum certiùs, sed passim etiam nullum aliud, ad salutem præsidium esse, prolixè asseverent, quàm in solis his *Alexipharmacis*, *Alexiteriis*, imò in genere *Alexicacis*, remediis. Quorum cum ita largissimus enarretur numerus, imprimis autem longè certiore aliò, præter assignatum *Alexipharmacum*, communiore effectu pollentium, ad morborum talium verum genium communiter *heteroclitò*, *sanguinis* & *Secretionum* modestarumque Excretionum *motus*, variè, & imprimis intempestivè & præposterè, exagitare aptò: Fit ita nihil communiùs, quàm ut confidente adeò hujusmodi rerum abusù, exagitationes tales ad periculosissimam meliorum, & verè decentium *motuum*, adversus ipsum morbum ejusque veras causas, vergant, imò pertendant. Cujus coepti vanitas, uti non solum è verè, imò verò veraciter, æstimandâ verâ energiâ vulgò enumeratorum *Alexipharmacorum*, omnibus verarum ætiologiarum & solerter studiosis & decènter compotibus, non potest non liquidò dilucescere; Ita confirmat abundè justitiâ talibus diffidendi, plenam & inviolatam, omni certè consideratione & æstimatione dignissima illa observatio, nullis præoccupationibus ullò modò obnoxia, quod plerique talium morborum, imò verò talium patientium, sine ullis ejusmodi de prædicatis remediis, nihilò tamen minùs *feliciter*, non solum vitæ suæ pericula evadant, sed etiam omninò *nihilò laboriosiore* totius morbi decursum sentiant: Imò verò, si sine ullò præjudiciò animus sincerè dirigatur ad ea, quæ nimium quàm verè circa has res fiunt, & nominatim præcipuè circa & *Variolas* & *Morbillos*, illi qui talibus rebus *non* utuntur, sincerè *tranquilliorè* totius effectus decursum experiantur, quàm illi, qui decantatis ejusmodi remediis non solummodo utuntur, sed ea quàm maximè diligenter & affatim usurpant.

XI.

Est itaque, inquam, minimè ullum aliud certiùs fundamentum

mentum, bona *Consilia* ægris suppeditandi, quàm, quod ab ipsis *morbis*, eorumque *causarum*, & tandem *vitalium Secretionum & Excretionum*, eorumque *mensurarum*, providis æstimationibus atque imitationibus, dependet. Interim, sicuti imprudens aliquis, & à veri rerum intellectus æstimatione abhorrens, horridus Censor, arbitrari posset, quasi tale *consilium*, quod nullam æque directam *Artem* commendet, sed nudis *naturæ* vestigiis insistere jubeat, non debeat pro re magni momenti existimari: Exemplò superbi illius viri militaris in sacris historiis, *Naëman* Syri, qui Prophetæ nudum *Consilium*, ut in *Jordane* septies sese ablueret, nullò aliò argumentò, aspernabatur, quàm illò, quòd Propheta potius ad illum solenniter prodire, & Dei sui nomen super ipsum invocare debuisset: Est tamen meritò atque manet hujusmodi, modò rectè, *consulendi* dignitas, in justissimò certè pretiò. Cùm enim ingenium humanum, non solum in genere magis undique propendeat ad *vetita*, & semper ferè ea sequi malit, quæ minùs, quàm quæ rectè facta haberi mereantur: Verùm etiam tantò magis illi mortalium, qui Medicorum auxilium præ aliis magis trepidè requirunt, passim certè impatientissimi adeò sint, ut nisi ipsis non solum *Consilia* proponantur, sed vel *Edicta* veluti sub clausulâ pænali, promulgentur, nihil bonæ frugis ab ipsis expectare sit integrum. Ubi inde, nisi ipsis etiam *Consilia* recta, & quidem cum prædictione *periculorum*, nisi dictò audientes sint, impendentium, præbeantur, solis interim *medicamentis*, imò quàm maximè contrà omnem consultam bonam continentiam, inanis sit usus, & irrita efficacia: Est utique pro *artificiò* non exiguò reputandum, non solum veram *rationem* earum rerum rectè perspectam habere, sed etiam *usum* eaundem, *quando & quantum*, expedit, rectè, *ordinare*, & d. veram sui efficaciam *instruere*, didicisse.

XII

Non ita rara certè aut ignota sunt hujus generis specimina; ubi v. g. peritus & simul cordatus Medicus, de constitutio-

tutione aliqua præfente patientis interrogatus, *consilium* profert, ut *placide, consideratè, ordine* atque *methodò*, negotium geratur, cavendo à *repentinis violentioribus* procedendi modis; Secùs si fiat, non solum *incommoda* impendentia, sed passim etiam *pericula* prædicit, & quidem etiam ex affectibus nisi ita pervertantur, totò quod ajunt genere innoxiiis, & nihil periculosis. Sicubi verò impatientia ægrorum, susurrus intercurrentium sciolorum sodalium & notorum, imò vel immediata ingestio impudentium promissorum, tales in transversum agat, ut spretis sanioribus *consiliis* atque monitis, vanis pollicitationibus sese permittant, iisque, secundum naturam illarum indolem, nequiter tandem fallentibus, *sanitatis, vitæ* securitatis, imò totius corporis *integritatis*, ad minimum *temporis*, certissimè omnium autem *sumtum*, varias jacturas, periclitationes, imò damna, incurrerint, tunc serò tandem ad irrita illa vota revertantur: *Hätte ich doch nur dem ehrlichen Mann gefolget / wahrscheinlich stünde es besser mit mir / und hätte nicht umsonst so viel Zeit / so viel Gedult / so viel Schmerzen / so viel mehrern Abgang meiner Gesundheit / alle meine Kräfte / so viel Geld und vergebliche Kosten / zu meinen grossen Verdruß und Schaden / liederlich verlohren.*

XIII.

Audeo profectò asseverare, summam hanc esse, & omnibus studiis atque animi judiciosâ industriâ quærendam *artem*, summum illud *artificium*, quò corpus humanum non tam constructum, quàm *instructum*, & saluberrimis *motuum* conservatoriorum legibus circumscriptum est: Quæ si rectè in effectum deducantur, etiam sine *extranearum* rerum adminiculis corpus ab impendentibus damnis liberari possit; imò vero ex adversò non modò paucissima, sed longè verius nulla suppetant ejusmodi *adventitia* subsidia, quorum qualicumque tandem enegiâ, periclitanti corporis Oeconomix consuli & verè subveiri possit, *sine* horum, *consilio* maxime noscendorum atque *regendorum*, domesticorum præsidiorum, dexterrimâ *Synergie* conservatione & subordinatione.

Quò

Quò intuitu tantùm abest, ut hoc *consulendi* fundamentum, ab ullò homine rationis suæ compote, elevari, aut ab *artificiosissimæ* agnitionis atque gubernationis objectis secludi possit, ut potius in ejus verâ cognitione atque peritâ administratione illud ipsum totum situm sit, quod verum *Medicum* à nudò *Empiricò*, ad nullam peculiarem circumstantiam vel alligatò, vel attentò, verè & in solidum distingvit, & certè in perpetuum distingvet.

XIV.

Una super est, conditio, hæc *Consilia* premens, quæ aliàs à *Consiliò*, nisi quidem inane illud esse debeat, vulgò minimè abesse jubetur. Est hæc *facilitas*, imò potius *facultas*, consilium in *effectum* deducendi. Posset autem videri, quasi illa consilia, de quibus nobis propriè sermo est, paulò magis exposita sint difficultatibus, quàm ut spem aliquam certiorè in illis collocare integrum videri possit. Cum enim patientes multi, non nisi *κατ' ἀντίφρασιν* tales sint: Sæpe numero etiam Medicus, non nisi perditis jam per mala regimina rebus, demùm in auxilium vocetur: Prætereà vero & *Medicorum*, & imprimis *Materiæ Medicæ Commentatorum*, libri, passim, tantò magis autem facundorum Practicorum animositas, nihil nisi *generosa* remedia, summam, imò *divinam* efficaciam, & ipsi vitæ, *directè* & in radice, salutifera inventa, illis, etiam per trivia legendis, encomiis deprædicent, ut in tali Medicinæ felicitate, non solùm ægrotare, sed propemodum mori, pude-re debeat. His rebus certius atque cordatiùs responderi non potest, quàm, primò, nec omnes patientes unâ eâdemque in-temperantiâ laborare: neque proptereà tamen etiam justam spem deesse, quod illis etiam utiliter svaderi possit, qui ali-quantò pejus morati sunt, modò partim modestè, utilitas ob-sequi, & quidem non tam Medici *dictis*, quàm *naturæ* in-violatis legibus ferendi, promittatur; modò, quod ferè im-patientissimos mitigat, certi, imprimis autem passim ingentis *periculi* alea, seriò pandatur atque declaretur: Qui verò uti-que etiam laudabilibus monitis contemptis, suæ potius intem-periei

periei, indulgere non desistunt, relinquuntur utique Experimento effati illius (apud Livium, Magnesi,) *Quemlibet suò periculò insanire.* Quantum autem ad *secundum*, sicuti certè ex hactenus à nobis dictis, nemo conficiet, quasi nos simpliciter in omnibus affectibus, aut promiscuè omnibus illorum temporibus, nedùm prætereà, *omnia*, *soli consilio*, sine etiam auxiliis quærendis, tribueremus; Undè etiam prudens Medicus facilè dijudicabit, ubi, & quantum, *consiliò* sit locus, ubi verò vicissim *auxiliò* opus: Ita occurrunt tamen profectò minimè etiam rari ipsi tales casus, ubi ab inauspicatis *auxiliis*, in graves angustias conjectæ res, bonò *consiliò* iterùm expediuntur: Et præcipuè ut plurimùm illò, ut à pessimorum istiusmodi artificiorum ulteriore usu *desistatur*. *Tertium* autem, quod attinet, ne quid de *pollicitatorum* illorum justissimò neglectu dicamus, de prædicatis certè illis medicamentorum energiis, nunc quidem condigna dicere neque tempus fert, nec ipse animus: unde illud dixisse satis fuerit, quod in genere quidem, utique omnibus votis optandum esset, ut illa, tantà audaciâ, ne plus dicam, non solum venditata, sed etiam passim sub hâc autoritate publicè magnò pretiò vendita, varii generis, sed tamen omnia ad *summas res*, *santitatem absolutè*, imò *vitam* conservandam, & maxima quælibet damna, (imò antè omnia venena,) non magis avertenda, quàm subvertenda, nedùm sarcienda, dilaudatæ res, sine *veritatis opprobriò* his necessitatibus adhiberi possent. Quamdiù autem hæc longè absunt ab eò quod verbis memoratur, habebunt certè sibi Prudentiores longè magis commendata *Consilia*, rebus, quæ *verè sunt*, superstructa ac intenta: Quemadmodum etiam de reliquo sua luce radiat, quod, ubi *vera* magis *directa auxilia* suppetunt, *Consiliis* non latius sit opus aut usus, nisi quantum ad istorum veram directionem & *administrationem* ducunt. Undè & *Consiliis* sua veluti ditio, & *auxiliis*, intemerata manere potest atque debet.

Cæterum, pro feliciore utique *Consiliorum* in *usum* debitum deductione, multum situm est, in illorum qui ægro *assistent*, imò solùm adstant, prudentiâ, atque *conversatione*, tam *solerti*, quàm ipsâ quoque *patiente*, maximè omnium autem, si impetrari possit, *peritâ*; nempe hominum, non solùm in genere cum ægris, sed maximè in specie *similia passis*, jam versatorum, & ipsò usu, quid tales benè aut malè ferant, edoctorum. Equidem *Hippocratis* tempore usitata methodus, nullo certè modo contemnenda, erat, ut Medicus *discipulum*, seu *ministrum*, rerum harum scientiâ jam instructum, ægro *assidentem* & *assistentem* daret, qui ut omnia ex præscripto, nempe ad *consilium*, fierent, invigilaret. Cum autem hos mores hodierna tempora minimè ferant, sufficit illud agere, ut quæ *consultare* verè ex usu, imò necessarium, videtur, illa satis *disertè*, sine *ambiguitate*, & satis *severè*, si quid imprimis *periculi imminet*, tam ægro quàm assistentibus, commendentur.

XVI.

Consistit itaque omninò vera energia *Consilii* Medici, I. In observatione atque discretionem quasi *necessitatis*, aut certè confessæ *utilitatis*; Ne *gratis consulantur supervacua*. II. In iusta atque vera *inventione*, quid verè utile consuli debeat seu suaderi; ubi utique *naturæ consilia* callere, eorumque velut *interpretem* esse Medicum, convenit: Ut, inquam, principiorum nobiscum natorum *conservatorum*, quasi Patronum sese gerere, intelligat Medicus: Adversus *opinionem* & *concupiscentias* adventitias & adscititias, *jucundi*, *adversi*, *acceptabilis* & *molesti*. III. Ut consiliis, antè omnia *necessariis*, *facultas* etiam executionis constet, aut certè non ita difficilis sit executio, quin à *morigeris* ægris, & maturam periculorum præoccupationem debite agnoscen-
tibus, eique adeò operam navantibus, omni modo præstari possit. IV. Ut utique rectissimè intelligat Medicus, quid *positive*, *agendum* consulere possit atque debeat; quid autem,
priva-

privativè, omittendum atque cavendum monere deceat; Ubi oertè multoties consilia consiliis contraria necessaria esse inveniet. Ubi V. verorum hujusmodi, imò veracium, consiliorum dignitas justa, adeò evidentissimè, ab omnibus prudentibus agnoscetur, & illa ab otiosarum rerum censu eximet, ut sine omni dubio facillimum futurum sit intelligere, quomodo tum necessitatem consiliorum naturæ verè consentaneorum, & secundum veritatem comprehendere, & secundum veram efficaciam disponere, & in justo ordine atque tempore præscribere, nimio majus sit artificium, & nimio major peritia, quàm falsas quasdam traditiones atque narratiunculas, de mirificâ efficaciâ aliquot centenorum remediorum, memoriter didicisse, eorumque nomina, imò etiam prolixa elogia, vel in locos communes descripsisse: Vel planè in ipsam etiam memoriam impressisse, & illa, sine ullius creaturæ, (Divinæ, sed solarum humanarum, Practici & Pharmacopœ) utilitate, recitare aut præscribere posse.

XVII.

Hanc itaque rem, *Consiliorum* inquam *Medicorum veracium* atque *salutarium*, *subministrationem*, etiam *sine* *necesse* *cum aliis remediis*, *utilissimam*, imò *adversus alieniorum remediorum* *vanas commendationes*, *necessariam*, *dignam* *merito duximus*, *quam multis*, *in speciem* *quidem* *operosis*, *reverà autem* *vel frustrà*, & *præter rem* *prolixis*, *vel penitus ambiguis*, imò *periculosis*, *aliis artificiis*, *non tam ad latus ponamus*, *quàm re verâ*, & *maximò jure meritoque*, *anteponamus*, *idque solenni hoc Specimine publicè Eru- ditorum disquisitioni sistamus. Quod cum hucusque, secundum summa sui capita, quantum satis, peregis- se confidamus, sistimus propterea hîc pedem, atque divinæ gratiæ pro benignissimè suppeditatis viribus, gratias devotissimas nuncupamus.*

SOLI DEO GLORIA.